



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

ij. Difficultates in oppositum, earumque solutiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

SECTIO II.

Difficultates in oppositum, earumque solutiones?

SUMMARIVM.

- 1 Offensa Ecclesiastica libertati facta, est reservata per extranag. Pauli I I.
- 2 Nomine libertatis Ecclesiastica non venit immunitas, si quidem libertas refertur ad personas, immunitas autem ad locum.
- 3 Censura lata contra violatores libertatis Ecclesiastica non extenditur ad violatores immunitatis.
- 4 In Decreto Clementis VIII. aliquantulum postea moderato à Paulo V. prohibetur quibuscumque Confessariis, ne absoluant in casibus in Bulla Cœne, siue claris, siue dubiis, tam iuris, quam facti.
- 5 Item ab iis, quos sibi specialiter reservant Episcopi.
- 6 Item a sex aliis, inter quos numeratur violatio immunitatis Ecclesie in terminis Constitutionis Gregoriana; sed ibi est sermo in ordine ad Regulares, non autem in ordine ad ordinarios.
- 7 In Bulla Cœne fertur censura reservata contra violatores non quidem immunitatis, sed libertatis Ecclesiastica, & non cuiuscumque libertatis, sed specialis.
- 8 In Constitutione Gregoriana solum expresse renouantur censura, & non expresse renouantur earum reservatio, quapropter non manent reservata.
- 9 Reservatio, utpote penalis, nunquam adesse censetur, nisi expresse facta fuerit.
- 10 Relatum est in referente cum omnibus suis qualitatibus.
- 11 Relatum non est in referente, quando qualitas relati requirit specialem mentionem, prout est absolutio, que debet expresse reservari Papæ.
- 12 Curia Romana Stylus, & Cardinalium declarationes, quandoam dari debent absolutio.
- 13 Et quomodo.

Oblicies, in extranag. Pauli I I. de penit. & remiss. c. 3. inter casus Sedi Apostolicæ reservatos apponitur offensa Ecclesiastica libertati facta: ergo.

- 1 Responderetur, concedo antecedens: at nego consequentiam, & retorqueo argumentum; quia cum ibi solum reservetur generaliter violatio libertatis Ecclesiastica, sub qua in rigore immunitas non comprehenditur (si quidem libertas refertur ad personas, immunitas autem ad loca) consequens est, quod censura latæ contra violatores libertatis Ecclesiastica (utpote penæ) non extendatur ad violatores immunitatis. Qua de re Couar. 2. var. c. 20. n. 1. Villagut. de extens. legum, cap. 1. n. 3. & etiam ipse Farinac. in append. de immunit. c. 1. n. 4. & ipse Mar. Ital. de immunit. Eccles. lib. 1. c. 6. §. 2. n. 6. & sequent.

Instabis, in decreto Clementis VIII. (quod postea innovatum, sed aliquantulum moderatum fuit à Paulo V.) apud Quarantam in Bullario, verb. casus reservati, & apud Mar. Ital. cit. c. 6. §. 2. n. 31. prohibetur quibuscumque Confessariis, ne absoluant à casibus in Bulla Cœne, siue claris, siue dubiis, tam iuris, quam facti. Item à sex aliis, inter quos numeratur violatio immunitatis Ecclesie in terminis Constitutionis Greg. XIV. percussio clericis contra Canonem si quis suadente diabolo, & c. ergo.

Responderetur, quod ibi tantum sermo sit in ordine Thom. Delbene de Immunit. Eccl. Pars I I.

ad Confessarios, qui virtute suorum privilegiorum prætendebant, posse absolvere à dictis casibus, non autem in ordine ad ordinarios: Quapropter cum dictum decretum Clementis VIII. limitatè procedat quoad sacerdotes inferiores, extendi non debet ad ordinarios, ex vulgata regula *l. in agris, ff. de acquir. rer. dominio*. Et confirmatur; quia alioquin ex vi dicti decreti Clementis VIII. non posset ordinarius absolvere, neque à casibus dubiis Cœne, neque etiam ab excommunicatione ob percussione clericis, vel leuicis, &c. quod falsum est; quia de re vide quæ lib. de Parlamentis, dub. 4. sect. 19. §. 1. c. 31. & 35. diffuse dicebamus.

Reinstabis. In Constitutione Gregorij XIV. insistantur contra violantes immunitatem Ecclesiasticam omnes censura latæ contra libertatis Ecclesiastica violatores: sed in Bulla Cœne fertur censura reservata contra istos: ergo etiam fertur contra illos. Ita Peregrinus, & Cortia in loc. sup. cit.

Responderetur, quod in Bulla Cœne fertur censura reservata contra violatores, non quidem immunitatis, sed libertatis Ecclesie, & non cuiuscumque libertatis, sed specialis, ut si quis statuatur, seu statuta condatur, vel quadam alia ibi expressa operetur contra libertatem Ecclesiasticam: non item, si quomodocumque alio modo operetur contra libertatem, & præsertim immunitatem Ecclesiasticam (de qua non est ibi sermo) ut patet ex cap. nic. de his, quæ vi, metu, & causa, in 6. & ex cap. si. de immunit. Eccles. in 6. & docent ex Vgolino, Gratiano, & aliis nouissimè Fontanella tom. 1. decis. 201. n. 38. & nos dicebamus c. 16. dub. 1. Adde quod licet in Constitutione Gregorij XIV. insistantur contra violatores immunitatis ibi præscriptæ ipso facto censura latæ contra libertatis, iuris, & immunitatis Ecclesiastica violatores illis nominibus, libertatis, iuris, & immunitatis, idem exprimitur, & claritatis maioris gratia simul apponuntur. Adde secundo, quod est in Constitutione Gregorij XIV. insistantur contra violantes immunitatem omnes censura, quæ in Bulla Cœne latæ sunt contra violantes libertatem Ecclesiasticam; hinc tamen non sequitur, quod tales censura habeant reservationis qualitatem, quam habet Bulla Cœne, quia in Constitutione Gregorij XIV. solum expresse renouantur censura, & non expresse renouantur earum reservatio, quapropter non manent reservata, cum reservatio (utpote penalis) nunquam adesse censetur, nisi expresse facta fuerit, cap. nuper, de sent. excomm. & ex alio capite relatum in referente non includatur expresse, sed tacite, cap. penult. de iurcirando. Unde quamvis relatum includatur in referente cum omnibus suis qualitatibus (ut ait Bart. in l. 1. ff. si familia furum fec. & habetur in l. 1. ff. de arbitris) tamen quando qualitas relati requirit specialem mentionem, prout est absolutio, que debet expresse reservari Papæ, cit. cap. nuper, de sent. excomm. non includitur in dispositione referente, cit. cap. penult. de iurcirando, & docet Gambacurt. de auctoritate legati, in princip. n. 35.

Vergebis: ita fuit Romæ declaratum, uti testantur Farinacius, Maranta, Diana, Theaurus, Lezana, & Peregrin. in loc. supra cit. ergo.

Responderetur, quod talis declaratio non constet authenticè, faciat tamen opinionem nostræ contrariam satis probabilem, quin consulendam, utpote tutiorem in praxi; præsertim, cum eam sequatur Stylus Pœnitentiariæ, & Curie Romanæ; quapropter Congregatio immunitatis fertur 1632. 16. Iunii, ita ad Vicarium generalem Capuæ respondisse: *Non essendo permesso all'Ordinario senza facoltà expressa di questa Santa Sede d'assolvere l'excommunicato per causa di violata immunitate giurisdizione, & libertà Ecclesiastica, perciò vi donate astenere dal dare in questo assoluzione, etiam di cum rescindente, ma di quanto in ciò occorresse, o dal stesso*

fosse fatta istanza, ne darete aiso distinto a questa Sacra Congregatione, che pigliarà gl'ordini necessarij, e che saranno espedienti, e di giustizia.

Vide quæ lib. de Parlamentis, dub. 4. sect. 19. subsect. 35. & supra c. 14. dub. 4. sect. 2. dicebantur.

Cæterum incurrens dictam excommunicationem absolvendus non est, nisi restituerit reum loco sacro. Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. de immunit. Eccles. num. 311. & Thesaur. loc. supra cit. & declarauit S. Congregatio immunitatis Ecclesiæ 11. Augusti 1638. Quæ eadem S. Congregatio declarauit in vna Neapolitana 20. Iunii 1630. & 16. Septembris 1625. quod ex praxi Curie Romanæ non absoluitur, saltem in foro exteriori, Iudex laicus, qui reum extrahet ab Ecclesia, & pœna capitis damnauerit. Et Congregatio super controuersis iurisdictionalibus declarauit 7. Septembris 1638. quod Breuia Pœnitentiariæ non suffragentur in foro exteriori, sed in foro conscientie, præuia tamen satisfactione in materia violationis libertatis, ac iurisdictionis Ecclesiasticæ.

DVBITATIO XXXIX.

An reus laicus ad locum sacrum confugiens, Iudici sæculari puniendus aliquando tradi possit, & debeat, & qua ratione? Vbi etiam quid dicendum de Episcopo, si extrahendi licentiam indebitè concedat?

SVMMARIVM.

- 1 Reus laicus confugiens ad locum sacrum potest etiam in casibus non exceptis tradi à Pralato Iudici sæculari, recepto tamen iuramento, vel fideiussione de securitate pœna corporalis, secus reo nolente, non obstante immunitatis cautione.
- 2 Immunitas rei consistit, ut non possit à loco sacro inuitus extrahi, & indicari.
- 3 Extractio quia in Constitutione Gregoriana explicite conceditur in casibus exceptis, implicite negatur in casibus non exceptis.
- 4 Immunitatis Privilegium primariò est concessum Ecclesiæ, secundariò autem videtur concessum etiam reo.
- 5 Debent Ecclesiastici, etiam Regulares, contra Ministros iustitiæ sæcularis reum defendere, ianuas claudendo, cum abscondendo, & etiam extrahendo ex manibus eorum, si opus fuerit, & censuras iniuris contra eosdem intimando.
- 6 Non tamen debent defendere armis.
- 7 Quin, si faciant, pœnam irregularitatis incurrunt, casu quo mors, vel mutilatio inde alicui sequatur.
- 8 Possunt tamen Ecclesiæ Pastores, si necessitas exposculet, & sine scandalo fieri possit, uti ad id auxilio, & armis laicorum.
- 9 Debent semper reum defendere censuris.
- 10 Quapropter in casu, quo reus gaudet immunitate, si illum Curia sæculari tradant, vel extrahendi licentiam concedant, irregularitatem incurrunt, si inde extractio mors, vel mutilatio sequatur.
- 11 Etiam si id faciant cum protestatione impunitatis circa corpus illius.
- 12 Non tamen incurrunt irregularitatem, si solum non defendant, sed permittant eum extrahi.
- 13 Quamvis contrarium sentiant alij, si loquamur de Ecclesiasticis, qui defendere, & extrahi, non permittere tenebantur ex officio.
- 14 Episcopus indebitè concedens licentiam, in casibus

non exceptis, reum extrahendi ab Ecclesiæ, probabilius non incidit in censuras, & pœnas Bullæ Gregorianæ.

- 15 Multo magis non incidit dans licentiam extrahendi nomine proprio pro delictis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus.
- 16 Quomodo sint recipiendi, & detinendi banniti, qui non commiserint delicta excepta.
- 17 Prælatus in casibus exceptis potest sine nota irregularitatis, & censura, quin & debet, Iudici sæculari reum puniendum tradere, si fuerit requisitus.
- 18 Non tenetur exigere cautionem, qua Iudex sæcularis promittat, illum non esse puniendum pœna sanguinis.
- 19 Tenetur tamen, non statim ac is captus fuerit, laice potestati tradere, sed nomine proprio in carcerem conicere, & detinere, donec ipse, vel ipsius deputatus cognouerit, an is crimen exceptum commiserit.
- 20 Et etiam si aliunde crimen exceptum reum commississe notorium sit.

Respondetur, & dico primò, si simus in casibus non exceptis (quamvis Silu. verb. Immunitas 3. num. 4. Alexander const. 145. n. 3. lib. 7. Correa in relect. de immunit. pari. 4. n. 10. Raphaël de la Torre tom. 2. in 2.2. quæst. 99. art. 3. disp. 7. grad. 8. Villalobos in summ. tom. 2. tract. 59. d. ff. 8. n. 3. Villagut. de exten. legum. cap. fin. n. 8. & seqq. Azor. 2. p. lib. 9. cap. 9. q. 10. Peregrin. de immunit. c. 12. n. 9. Cutellius de immunit. Ecclesiæ, lib. 1. q. 32. n. 24. & seqq. & q. 40. n. 4. & Suar. lib. 3. cap. 13. n. 4. censent, quod Prælatus possit & debeat eum Iudici sæculari puniendum tradere, quia sic videtur colligi ex cap. defuncti, 16. q. 4. & ibi Glossa, Archidiacono, & Turrecremata, obtentam tamen prius cautione de salute rei, quoad vitam, membra, & omnem pœnam corporalem, iuratoria, si non dubitatur de violatione iuramenti, si verò dubitetur, an Iudex seruaturus sit iuramentum, fideiussoria; sicut in simili colligitur ex c. transmissa, de resit. spoliat.) contrarium tamen dicendum esse in casu, quo reus nolit tradi, quamvis Iudex sæcularis quamlibet securitatem præstet de eius impunitate. Ratio est, quia immunitas, qua reus in dictis casibus gaudet, consistit, ut non possit inuitus à loco sacro extrahi, & indicari: ergo, &c. Quod saltem in terminis Constitutionis Gregor. XIV. dubium esse non debet, cum in illa solum in casibus exceptis extractio concedatur, & sic implicite, seu virtualiter in casibus non exceptis denegetur; maximè, quia in dicta Constitutione dicitur esse irritum, & inane, quod contrà actum fuerit: & ibi Pontifex omnes alias facultates abrogat, & cuncta ad vnam tantum formam reducit, & moderatur. Quapropter ne immunitas violetur in casibus non exceptis, concurrere debet consensus rei, & consensus Ecclesiæ; quia licet privilegium concessum sit Ecclesiæ; primariò tamen concessum est etiam reo, ita ut ab Ecclesiâ inuitus extrahi non possit. Vide Abb. in c. inter alia, de immunit. Eccles. Gambacurtam lib. 8. c. 11. & 12. n. 4. Bonac. tom. 2. disp. 3. q. 7. punct. 7. n. 3. & Farin. in append. de immunit. c. ult. n. 344. Vide quæ dicebantur supr. dub. 26. in fin. dub. 32. Vide etiam Suar. tom. 1. de relig. tract. 2. lib. 3. c. 8. Sanch. dub. 7. Thesaur. in prax. verb. Immunitas, c. 1. Rodrig. tom. 2. qq. reg. q. 50. art. 3. Sorb. in addition. ad compend. privileg. Mendicant. verb. Eccles. Fratrum, & Layman lib. 4. tract. 9. c. 3. qui subdunt, quod Ecclesiastici, etiam Regulares, debeant contra Ministros iustitiæ sæcularis extrahere volentes reum defendere ianuas claudendo, eum abscondendo, & si iam fuerit captus, eum abstrahendo ex eorum manibus, & eisdem censuras, ac pœnas contra violatores immunitatis Ecclesiasticæ in iure & Constitut. Gregor. XIV. impositas intimando, quamvis non debeant etiam eum defendere armis